

et respective Stipendia, praevis per Commissionem hanc regulanda et nobis submittenda, aequè habituri. Pro Provinciali vero illarum partium Commissario annue quingenti floreni ordinantur, ad quae Salaria respective et Stipendia usque finem Decembris Anni 1746 juxta dispositionem Regiae Commissionis nostrae persolvenda benigne resolvimus, ut eo usque Cameram nostram Aulicam triginta Millia florenorum anticipentur, interea vero temporis fundus salariorum in praespecificatis tribus Comitatibus (uti Magistratibus Instructionaliter jam commissum est) plenarie elaboretur, et ad effectum futurae solutionis ipsorum praeparetur; Vicissim vero pro Indemnisatione Aerarij nostri pretium Salis in Sclavonia et Syrmio ibidem distrahendi, a singulo Centenario in 15 Crucigeris augeatur, et haec auctio a die 1. Mensis Julij Anni currentis, usque ultimam Decembris 1750 continuetur; In reliquo autem praefata Commissio Individualem provisorie ibidem in singulo Comitatu constitutorum officialium, Militum item et Haidonum aliorumque necessariorum Comitatus servitorum, cum qualibus stipendijs respective et salarijs in quo Comitatu, qua die et quot numero conductorum, specificationem Nobis expost submittet.

Septimo: Cum ex hac parte Danubij Cis Petro-Varadinum sita loca militaria Chalma, Kukojevcze, Perkaszo, Schüel, Lerovacz, Banostor, Nestin, et in parte etiam Illok, juxta benignam resolutionem nostram ex ratione situs ipsorum Jurisdictioni Provinciali incorporari debebunt; Incolis autem illorum, qui militares permanere voluerint, liberum futurum sit, ut semet ad Confinia transferre possint, reliqui autem cum toto praespecificatorum locorum Terreno usque ulteriorem dispositionem nostram in Terrestrialibus sub Regia Camera nostra stare debebunt, et proportionatum etiam quantum Contributionale, a quo hactenus quae Militares immunes erant, supportandum habebunt; sed etiam praeterea in toto Syrmio et Sclavonia inter Contribuentes gravis admodum impropertio esse dicatur, ideo Commissio haec, postquam Magistratus Comitatus instaurati fuerint, primae & principali sibi curae ducet, ut pro futura recte et proportionate inter Contribuentes instituenda onerum Publicorum repartitione et subdivisione, cum interventu etiam Officialium Comitatus, unam bonam et illis partibus applicabilem et idoneam Conscriptionis universalis Ideam bene elaboret, et Secundum illam non tantum praespecificatorum octo, sed aliorum etiam universorum totius incorporati Syrmienensis Comitatus locorum, et apertinentiarum Conscriptionem medio Comitatus Officialium peragi, et sibi referri faciat, illaque bene perpensa et examinata, quantum cuilibet loco ejusdem Comitatus in Contributionali et alijs oneribus publicis, de jure a prima videlicet futuri Mensis Novembris supportandum obvenerit? justam et aequam repartitionem faciat, et Nobis tempestive referat, et haec etiam respectu reliquorum duorum Comitatum, Posegani videlicet et Veroczensis, cum incluso Valkoviensi, quo citius fieri poterit, indilate facere studeat, ut juxta novam hanc omnium trium Comitatum Conscriptionem et oneris publici repartitionem Contributionis praestatio statim cum inito futuri Mensis Novembris induci et Inchoari, taliterque Contribuens Incola impropertionato onere gravatus, pro ulteriori sui Conservatione et permansione, ad aequam et justam proportionem quo citius reduci et sublevari valeat. Interea autem et eousque donec videlicet praeattacta nova Conscriptio et repartitio peracta et stabilita fuerit, consequenter in Casum etiam illum, quo usque futuram Primam Novembris haec nova Contributionis Idea in effectum deduci nequiret, universa tam Cameralia, quam